



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte monachi de Orsburg, qui vivere recusavit propter Abbatem
inordinatum, cap. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

oratio religiosi militis, & post dies paucos defunctus, conuictus est ciuibus Ierusalem cœlestis. Quam prope sit Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, mors alterius cuiusdam demonstrat.

Ps. 144

CAPVT XXV.

IN Ostburg monasterio Traiectensis diœcesis monachus quidam fuit tenax iustitiæ, zelum habes disciplinæ: cumque mortuo illius temporis Abbate, is, qui hoc anno defunctus est, ei per electionem substitueretur, ille sciens eum virum secularem atque incontinentem, igemuit dicens: Heu modo disciplina domus huius peribit: est enim de ordine nigro monasterium, aliquando diues satis, & ait: Domine Iesu Christe, peto ne sinas me diutius viuere, ne videam desolationem huius monasterij. Cumque induci non posset vt eundem eligeret, siue professionem faceret, ait ad eum mente tranquilla: Deus nouit, quia diligam vos, sed scio quod religio domus huius destruetur per vos. Manè, dicta Missa, ab eodem Abbate se intungi petiuit, & vix obtinuit, contradicente Abbate, eo quod suauissimus videretur, respōdit: Hodie oportet me mori. Deinde strata matta, se in ea reposuit, & per tabulam conuentum aduocari fecit. Dictis orationibus, cum minimè moreretur, surrexit, stolamq; in qua Missas dicere consueuerat collo imponens, coram altari more agonizantium se reposuit, hanc orationem fundens: Domina sancta virgo Maria, si vnquam per hanc stolam Missam celebraui tibi placentem, suscipe animam meam in hac hora. Exauditus est iustus, & expirauit, & secundum prophetiam eius, domus illa, tam in spiritualibus, quam in corporalibus, valde defecit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate ordinis nostri, necnon ab Euerhardo monacho & sacerdote eiusdem cœnobij. **A**POLLONIVS: Non miror si Deus quandoque iustos tollit, ne peccata dimissa repetant, vel ne mala imminencia videant, vt Iosiam: sed hoc me terret, quod iusti aliquando subito rapiuntur, vel, quod horribilius est, igne, aquis, vel præcipitio pereunt. **C**ÆSARIVS: Iusti quacunque morte præoccupati fuerint,

4. Reg. 23

Sap. 4

Vv

in

in refrigerio erunt: multis enim causis omiſſis, quæ assignari poſſent, quare id Dominus permittat, vna est, vt virtutes eorum oſcultæ pateſiant.

CAPVT XXVI.

*Iustos in
terdum
violenta
morte
interire.*

ANte hoc quinquenniū, qui nunc est dux Baioariæ, vnum ex Abbatibus ordinis noſtri ad ſe vocauit, nescio quid cum eo tractaturus: nocte præparatus est ei lectus in horreo, qui cum dicto cõpletorio iſſet cubitum, lumen, quod a Conuerſo poſti fuerat infixum, in ſtramen cecidit, & in flammam profecit: à quibus Abbas excitatus, cum oſtium exire non poſſet, in modum crucis ſe in terram proſternens, exitum ſuum Domino cõmendauit. Comperto incendio, dux cū militibus & omnibus qui aderant accurrit, rejectiſque lignis ac ſtipulis, Abbatem ſemiuſtum atque extinctum extraxerunt: & ecce circa pectus eius apparuit caſſella cum reliquiis, ventrẽ verò eius catena ferrea ſtringebat; quibus viſis, dux compunctus dicebat: Videte quòd ſancto iſti viro veſtimentorum aſperitas ſufficere non potuit, niſi etiam catenam ſuperadderet. Sepultuſque eſt Ratiſbonæ in Eccleſia maiorj. Poſt dies paucos, cum duo milites in eodem loco Miſſam audirent, vnus ſepulcrũ eius aſcendit. Vt autem Deus oſtenderet, qualis eſſet meriti illic tumulatus, miles tam vehementer in pedibus ardere cõcepit, vt deſiliens clamaret: quo comperto, alter reſpondit: Sepulchrum eſt illius combuſti Abbatis. Ex illa die, habitus eſt in eadem Eccleſia in magna veneratione.

CAPVT XXVII.

*Mors bona eorũ,
qui aliquando
malè vixerant.*

IN eccleſia ſancti Maximini in Colonia temporibus meis quidam fuit incluſus cõnobij euſdem initiator: eſt enim illic congregatio ſanctimonialium. Hic ante conuerſionem concubinam habuerat, & quia ſimul peccauerant, ſimilem ſuſceperunt pænitentiam adeò duram, vt vterque circulo ferro ventrẽ ſuum ligaret. Ipſe verò in prædicto loco ſe includẽs, Miſſas ſuas celebrãdo, Domino vacabat, cui illa foris in habitu religioſo miniſtrabat neceſſaria.

Aduer